



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae

Diertins, Joseph

Solisbaci, 1708

Hebdomada I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

COLLOQUIUM. Petamus à Deo donum *Consilii*, ut per Electiones nostras recta ad finem creationis nostræ tendamus: RECOLLECTIO.

Haëtenus de FUNDAMENTO, cui innituntur omnia Exercitia. Nunc incipiunt meditationes hebdomadæ primæ propriè dictæ.

MEDITATIONES PRIMÆ HEBDOMADÆ.

Quinq; prima Exercitia hujus hebdomadæ, hîc non repetimus; sunt enim satis explicata in ipso libro *Exercitiorum*; præsertim si legantur junctæ *Explanationes*. Itaque transibimus ad Meditationem sextam: Repetitiones tamen (quamvis nullatenus sint omittendæ) deinceps in numero Meditationum non ponemus: satis patet, quomodo illæ ad normam S. P. Nostri fieri debeant.

Quoniam verò in *Explanatione* posita post *Tres modos orandi*, tria genera meditationum *Prima Hebdomada* notavimus à S. P. Nostro esse data: primum, cum tres animæ potentiaë exercentur ad singula puncta, ut fit in *Exercitio I*. Alterum, cum quædam puncta potissimum soli memoriæ; quædam intellectui; quædam voluntati attribuuntur, ut fit in *Exercitio II*. Tertium, consistens in quadam sensuum applicatione, ut fit in *Exercitio V*. Nos deinceps per hujusmodi ternarios ordines progrediemur. Facile autem erit unicuique post duas cujusque ternarii meditationes, inter.

interponere unam, vel duas repetitiones; & sic totidem quaternarios, vel quinaros ordines habebit, qui in secessu Exercitiorum annuo, uno die absolventur; extra illum secessum in decursu anni, potest quivis ordo in plures dies distribui.

Ordines ipsos non numerabimus, sed unicuique meditationi apponemus notam cuius sit Generis hoc modo: G. 1. vel G. 2. vel G. 3.

MEDITATIO VI. G. I.

De pœnis peccati in lege naturæ.

CONGRUA. Quomodo lex naturalis, quamvis Calia non esset, peccatores reos faciat.

PRÆL. I. Videre animam nostram sub lege naturali, tamquam sub severo inspectore & vindice positam.

PRÆL. II. Petere gratiam, peccata ipsa cognoscendi, quanta sit scœditas, & nequitia singulorum ex natura suâ, si vel prohibita non essent.

PUNCTUM I. MEMORIA. Interfecto Abele, dixit Dominus ad Cain. Gen. 4. *Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.*

INTEL. Nondum erat scripta lex; *non occides* Exo. 20. sed erat lex nobis innata. Causa homicidii fuit, quod Cain malè uteretur rebus creatis in Sacrificio, & parè offerret *de fructibus terra munera Domino.* Abel verò, utens rectè rebus creatis, debito modo, *Obtulit de primogenitis gregis sui.* Hinc invidia, quòd Sacrificium Abelis Deo

B ; place

placeret: & ex hoc peccato capitali ortum homicidium. Post quod secuta est pœna: *Nunc igitur maledictus eris super terram. &c. Gen. 4. REFL.* Interrogemus quoque nos ipsos: *Quid fecisti?* & examinemus pravos rerum creatarum usus.

VOL. Intimè doleamus, quod Dei bonitatem ita offenderimus, abutendo donis ipsius, ob quæ super omnia diligi meretur.

PUNCTUM II. MEM. Recordemur quomodo non obstantibus variis severis Justitiæ divinæ exemplis totum genus humanum paulatim deflexerit à viâ salutis, & finis, ad quem Deus hominem creaverat. *Omnis quippe caro corruperat viam suam. Gen. 6.*

INTEL. Consideremus hominum cœcitatem; sciebant pœnam inflictam primis Parentibus totique generi humano: sciebant supplicium Cain, non ignorabant lapsum Angelorum, & tamen, Deum, qui ob bonitatem suam solus super omnia diligendus erat, dereliquerunt, negligentes laudem & servitium ejus, ad quod erant creati. Itâ ut communis pœna inflictâ fuerit: *Factumque est diluvium... & delevit omnem substantiam, quæ erat super terram ab homine, usque ad pecus. Gen. 7. REFL.* Inspiciamus vias nostras, & videamus an etiam in multis non sint corruptæ.

VOL. Confiteamur Deo perversitatem viarum nostrarum. Laudemus misericordiam ejus, qui hætenus nobis pepercit. Dicamus cum Davide Ps. 118. *Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua.*

PUNCTUM III. MEM. Recordemur post diluuium peccata Sodomæ: *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ... Superbia, Saturitas panis, & abundantia & otium ipsius, & filiarum ejus: & manum egeno & pauperi non porrigebant... & fecerunt abominationes coram me. Ezech. 16.*

INTEL. Consideremus singula, & patebit, quod turpissimè abusi sint Sodomitæ divitiis, honore, aliisque rebus creatis contra finem creationis. Hinc justa pœna. *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrhæam sulphur & ignem à Domino de Cælo, & subvertit Civitates has, & omnem circa Regionem, universos habitatores Urbium, & cuncta terra virentia. Gen. 19.* **REFL.** Examinemus nos quoque in illis, in Superbiâ, & in usû rerum cœterarum contra finem.

VOL. Agnoscamus sicut in primo Exercitio agnovimus, has pœnas, atque etiam æternas justè deberi peccatis. Fateamur nos quoque reos, detestemur nostram stultitiam, quod contra Creatorem nostrum, summè diligendum, ita rebelles fuerimus.

COLLOQ. Ad Christum Crucifixum, gratias agendo, quod ipse pœnas, quas meriti sumus, Passione sua redemerit: Excitemus intereà actus veræ contritionis, & perfectæ charitatis, **RECOLLECTIO.**

MEDITATIO VII. G. II.

De miseriis Corporis.

CONG. Cogitare gravem sensum primorum Parentum, quando erant ejecti è Paradiso, & condemnati ad labores.

PRÆL. I. Respicere nos ipsos tamquam exules ad labores & dolores damnatos.

PRÆL. II. Petere gratiam, ut ex miseriarum corporis consideratione, perveniamus ad veram contritionem.

PUNCTUM I. MEM. In mentem revocare, humani generis labores, sudores, dolores, morbos, vulnera, famem, sitim, & alia incommoda, ab elementis, bestiis, & ab ipsis hominibus illata: & quomodo per tot misérias moriantur. REFL. Nostri Corporis proprias quasdam misérias etiam perpendamus.

PUNCTUM II. INTEL. Ratiocinemur, has esse pœnas peccati, etiam solius Originalis. dictum fuit Adamo, in eoque posteris. Gen. 2. *In quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris,* & Genes. 3. *In sudore vultus tui vesceris pane.* REFL. Concludamus, quod vel ob solum Originale mereamur pœnas corporis, quas patimur.

PUN.

PUNCTUM III. INTEL. Ratiocinemur præterea has & majores pœnas deberi peccatis nostris actualibus. Levit. 26. dicit Deus: *Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea . . . Visitabo vos velociter in egestate, & ardore . . . Frustra seretis sementem, quæ ab hostibus devorabitur.* Et Deuter. 28. *Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui . . . maledictus eris &c. mittet Dominus super te famem & esuriem. Adjungat tibi Dominus pestilentiam . . . percutiat te Dominus egestate, febrî, & frigore, ardore, & aestu, & aere corrupto. &c.* REFL. Hinc discamus quàm merito patiamur tum proprias, tum communes calamitates.

PUNCTUM IV. VOL. Agnoscamus culpam nostram, & dicamus: *Iustus es Domine, & rectum Judicium tuum.* Psal. 118. *Quoniam non obedivimus præceptis tuis.* Tob. 3. quoniam tam turpiter recessimus à fine, ad quem nos creasti.

COLLOQ. Extollamus misericordiam Dei, dicamusque ei: *Cum iratus fueris, misericordia recordaberis.* Habac. 3. Et quia tempus dat pœnitentiæ, non tantùm doleamus, quia meremur pœnas; Sed maximè quia offendimus tam bonum Deum, qui tam benignè nobiscum agit. RECOLL. REPETITIO.

MEDITATIO VIII.

G. III.

De morte hominis sanitati & vitæ nimis affixi.

CONG. Cogitare verba. Eccli. 14. *Testamentum enim hujus mundi morte morietur.*

PRÆL. I. Nos ipsos aspiciere, tamquam morti destinatos, & ad eam damnatos.

PRÆL. II. Petere gratiam ut in nobis impleatur illud. Eccli. 7. *Memorare novissima tua, & in aeternum non peccabis.*

PUNCTUM I. VISUS. Videre hominem cum morte reluctantem: veluti Agag Regem Amalec, qui Samueli oblatus est occidendus, *pinguissimus & tremens.* 1. Reg. 15. vel Antiochum, quem apprehendit *dolor dirus viscerum, & amara inter-
norum tormenta.* 2. Mach. 9. REFL. Cogitemus, quam tunc certò judicaturi simus, quod debuerimus esse indifferentes, erga ægritudinem, & sanitatem, erga longam, & brevem vitam.

VOL. Judicemus nunc idem, & renovemus illa, quæ de indifferentia antè meditati sumus.

PUNCTUM II. AUDITUS. Audire Agag dicentem: *Siccine separas amara mors?* 1. Reg. 15. & Antiochum, qui ita ait: *Justum est subditum esse*

esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire. 2. Mach. 19. REFL. Concludamus melius esse talia nunc sentire, & dicere,

VOL. Ne serò tales voces cogamur proferre, nunc tota animi contentione, finem, ob quem creati sumus, præ oculis habeamus.

PUNCTUM III. GUSTUS. Amaritudinem gustavit Agag exclamans: *Amara mors!* Et hæc oritur ex nimia adhæssione ad res creatas. REFL. Concludamus iterum indifferentiam nobis necessariam esse, ut amaritudinem illam vitemus.

VOL. Convertamus nos totos ad finem nostrum, alia omnia tamquam media, & instrumenta tantum considerantes.

PUNCTUM IV. ODORATUS. De Antiocho habetur 2. Mach. 9. quod *nec ipse jam fœtorem suum ferre posset.* REFL. Sciamus tunc suavem nobis fore mortem, si nunc elegerimus ea tantum, quæ ad finem ducunt, qualiacumque sint.

VOL. Anhelemus, & aspiremus ad hanc rectè eligendi normam, ex qua felix vitæ cursus, & sua vis mors dependet.

PUNCTUM V. TACTUS. Nos ipsi sentiamus quodammodo dolores & tormenta, quibus moribundorum tactus cruciatur. REFL. Concludamus insipienter commoda & delicias Corporis in tactu quæri, quando abducunt à fine.

VOL. Amplectamur potius Additionis 10. præscripta,

p. præscripta, & dicamus cum Apostolo. 1. Cor. 9.
Castigo Corpus meum, & in servitutem redigo.
Tunc morienti leviores erunt dolores à tactu.

COLLOQ. Ad Christum in Cruce morientem,
per dolores mortis ipsius petendo gratiam indif-
ferentiæ, & bonæ electionis, & mortem felicem.
RECOLL.

MEDITATIO IX. G. I.

*De transgressoribus primæ tabule
scriptæ.*

CONGRUA. De eo, qui sibi malè conscius, de
mandatis acceptis Regi rationem dare debet.

PRÆL. I. Quomodo Exod. 19. & 20. Deus
dederit mandata in tabulis scripta, cum terrore:
Ut terror illius esset in vobis, & non peccaretis.
Exod. 20.

PRÆL. II. Petere gratiam cognoscendi de-
lictâ contra hæc mandata, & emendandi.

PUNCTUM I. MEM. Exod. 23. Filii Israël adora-
verunt vitulum, & Ps. 105. *Fecerunt vitulum
in Horeb, & adoraverunt sculptile.*

INTEL. Creatus est Homo, ut Dominum Deum
suum laudet, ac reveretur, præcipua laus & re-
verentia consistit in adoratione, & cultu latriæ.
Hunc cultum dederunt rei creatæ. Atque ecce
pœna: confractæ sunt tabulæ testimonii, *cecide-
runtque in die illâ, mandante Moysè, quasi vi-
ginti*

ginti tria millia hominum. Exod. 32. REFL. Consideremus, an nos quoque contra primum preceptum non peccaverimus certo modo: *hoc enim scitote intelligentes*, inquit Apostolus Eph. 5. *Quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est Idolorum servitus, &c.*

VOL. Accusemus nos de ejusmodi Idolorum servitute, Deumque solum deinceps adoremus, aestimemus, amemus super omnia, omnemque laudem ei tribuamus.

PUNCTUM II. MEM. Exod. 20. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Mandatum secundum.

INTEL. Creatus est homo, ut Deum *revereatur*, cui maxime repugnat, irreverenter nomen Dei assumere, & blasphemare, merito ideo statutum est Lev. 24. *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur. Lapidibus obruet eum omnis multitudo, sive ille civis, sive peregrinus fuerit.* REFL. Inquiramus an per nos, vel per alios nomen Dei non affecerimus blasphemiam. Nam Apostolus Rom. 14. dicit: *Non ergo blasphemetur bonum nostrum.* Malè scilicet utendo cibo, & potu. & ad Tit. 2. præscribit prudentiam, castitatem, sobrietatem &c. *ut non blasphemetur verbum Dei.*

VOL. Excitemus zelum illam Dei irreverentiam, non modò in nobis, sed etiam in aliis impediendi.

PUNCTUM III. MEM. Præceptum 3. est. *Memento ut diem Sabbati sanctifices.* Exod. 20.

INTEL.

INTEL. Creatus est homo, ut Deo *serviens tandem salvus fiat*. Servire est mandatis obtemperare. Num. 15. Quidam non obtemperarat, sed collegerat ligna Sabbato: & dixit Dominus ad Moysen: *morte moriatur homo iste; obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.* **REFL.** Hinc concludamus, quia Dominicis & Festis, si umquam, fini nostro diligenter satisfaciendum est, graves pœnas post mortem subeundas, si diebus illis non servierimus Deo ex toto corde: & violaverimus præceptum.

VOL. Animos concipiamus, excitando primum nos, deinde alios ad bene Deo serviendum; obtemperando iis, quæ spectant ad hoc præceptum.

COLLOQ. Ad Christum Crucifixum, qui ut tam temporales, quàm æternas pœnas à nobis removeret, tam diram mortem subiit: petendo gratiam, ut per pœnitentiam interiorem veræ contritionis, & exteriorem juxta Addit. 10. pro peccatis nostris potius in hac vitâ satisficiamus. **RECOLL.**

MEDITATIO X. G. II.

De vulnere Ignorantiæ in intellectu.

CONG. Cogitare quanta sit miseria hominis cœcutientis, & anxie semper incedentis.

PRÆL. I. Aspicere animam nostram, in corporis tenebricoso carcere constrictam.

PRÆL. II. Petere gratiam, ut per pœnam ignorantie, saltem in peccata non deducamur.

PUN-

PUNCTUM I. MEM. Summatim menti nostræ obijciamus, percurrendo varias scientias, quam pauca in singulis sciamus, quanta ignoremus.

PUNCTUM II. INTEL. Comparemus hanc exiguam nostram scientiam, cum scientia omnium hominum, Angelorum, ac denique cum infinita scientia Dei. REFL. Post hæc respiciamus nos tamquam abyssum ignorantiae & cœcitatæ.

PUNCTUM III. INTEL. Consideremus hanc cœcitatem, per peccatum Adami nobis obvenisse. Ignorantia verò alia est pœna peccati tantum: alia etiam peccatum, & causa peccati, quando nostrâ culpâ non superatur. REFL. Cogitemus quoties per desidiam nostram ex ignorantia lapsi simus.

PUNCTUM IV. INTEL. Illa verò miserrima est ignorantia, quâ ignoramus innumerabilia nostra peccata, offensiones, & negligentias, neque eorum satis recordamur: item illa, quâ actus nostros ex naturali motivo ortos, sæpe pro supernaturalibus aspiciamus; quâ nescimus quid agere debeamus, ut præcaveamus futura: quâ denique ea, *qua in prospectu sunt, invenimus cum labore.* Sap. 9. ubi hæc miseria pluribus describitur. REFL. Consulam hic propriam experientiam.

PUNCTUM V. VOL. Humiliemus nos coram Deo, & dicamus: *Lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.* Ps. 37.

COLLOQ. Ad Christum crucifixum, qui est sapientia æterna, petendo donum *scientiæ* in tantis tene-

tenebris: & gratiam, ut saltem vitare possimus peccata; *Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte.* Ps. 12. RECOLL. REPETITIO.

MEDITATIO XI.

G. III.

De morte Divitis & Honorati.

CONG. Cogitare; *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur? &c.* Matt. 16.

PRÆL. I. Videre animam nostram quasi erga stulo conclusam, & insuper cupiditate divitiarum & honorum ligatam.

PRÆL. II. Petere lumen, ut cognoscamus quanta malitia sit ob fluxas divitias & honores, deserere suum finem, & Deum suum offendere.

PUNCTUM I. VISUS. Videamus hominem inter thesauros divitiarum, & amicos, à quibus honorabatur, luctantem cum morte.

INTEL. Ratiocinemur, quòd aspectus auri, argenti, &c. qui illum antè delectabat, non cruciet.

REFL. Concludamus, quòd nos maneat similis cruciatus, si nunc non simus indifferentes ad res illas.

VOL. Statuamus illas non aliter aspicere, quàm tamquam media ad finem.

PUNCTUM II. AUDITUS. Audiamus illum hominem dicentem: *O mors, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantiis suis!* Eccl.

INTEL. Si sola memoria mortis virum divitem & honoratum ad talia suspiria adigat, quid faciet mors imminens? REFL. Respiciamus nos ipsos, an non tacitè talia in nobis suspiria sentiamus.

VOL. Dicamus potiùs nunc de divitiis & honoribus: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Eccl. 1.

PUNCTUM III. Gustus. Gustemus quodammodo amaritudinem, quam sentit miser ille.

INTEL. Si enim memoria, ut vidimus, amara est, multo amarior erit mors, quàm cogitur omnia deserere. REFL. Præstat igitur, nos nunc ab illis rebus avellere.

VOL. Abominemur avaritiam, & superbiam, quæ tam amaros fructus proferunt.

PUNCTUM IV. ODORATUS. Percipiamus graveolentiam & foetorem, quem moriens ille haurit ex suis divitiis, & honoribus.

INTEL. *Nam divitiæ vestra putrefacta sunt.* dicitur Jacob. 5. *& gloria ejus stercus & vermis.* 1. Mach. 2. REFL. Concludamus quàm stultè egerimus, si ob res tam viles salutem nostram, & obsequium Dei neglexerimus.

VOL. Doleamus de nostra illa cœcitate, & deinceps illam Christi vocem sequamur: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi arugo, & tinea demolitur.* Matth. 6.

PUNCTUM V. TACTUS. Sentiamus quodammodo, quàm gravis tunc sit tactus divitiarum, &c. quæ violentè desereri debent.

C

INTEL.

INTEL. Nam cum in omnibus, quæ fiunt sub Sole, *fit labor, & afflictio Spiritus*. Eccl. 1. tunc illa afflictio crescet, & labor anteaactus majorem afferet sensum. REFL. Nos ipsi experiamur, quàm gravem sensum excitet, si vel mente attingamus ea, quæ cum dolore amittimus.

VOL. Sequamur monitum Apost. Coloss. 2. *Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis quæ sunt omnia in interitum, &c.*

COLLOQ. Ad Christum crucifixum, interrogando eum cur in Cruce tantam paupertatem, & tantam ignominiam passus sit? haud dubiè propter peccata nostra, quia per sensus nostros divitias, & honores prætulimus obsequio ejus. Effundamus nos in actus Contritionis, & petamus gratiam ad divitias, & honores non sectandum, nisi ad ejus laudem, reverentiam, & servitium. RECOLL.

MEDITATIO XII.

G. I.

De transgressoribus quarti, quinti, sexti, & septimi Præcepti.

CONG. De eo, qui sibi malè conscius, de mandatis acceptis Regi rationem dare debet.

PRÆL. I. Quomodo in monte Sina cum terrore

rore data sint Præcepta, ut timor transgressionem impediret.

PRÆL. II. Petere gratiam, ut timor peccata coërceat, ac veram charitatem & contritionem introducat.

PUNCTUM I. MEM. Levit. 20. *Qui maledixerit patri suo, aut matri, morte moriatur.*

INTEL. Hæc est pœna peccantium in quartum Præceptum, quo comprehenduntur etiam Superiores, quos Parentum loco habere debemus. Hinc Num. 16. Septingenti supra quatuordecim millia igne absumpti sunt, quia murmura-verant contra Moysen & Aaron. REFL. Examinemus nos super hoc Præcepto.

VOL. Decernamus in nobis, & in aliis hoc præceptum promovere, nobisque atque etiam aliis verbo & exemplo in memoriam revocare illud monitum Apostoli Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis.*

PUNCTUM II. MEM. David violavit quintum Præceptum in Uria, & sextum cum Bethsabee.

INTEL. Mox Deus per Nathan denunciavit pœnam 2. Reg. 12. *Non recedet gladius de domo tua usque in sempiternum... Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua... Filius, qui natus est tibi, morte morietur.* Et hæc erant præambu-

la suppliciorum æternorum, nisi David fecisset poenitentiam. REFL. Examinemus nos super utroque Præcepto.

VOL. Si imitati fuerimus peccantem, imitemur poenitentem, & excitemus in nobis affectus ex Psalmis poenitentialibus.

PUNCTUM III. MEM. Josue 7. Achan contra septimum Præceptum, furatus erat pallium coccineum, &c.

INTEL. Dixit illi Josue: *Quia turbasti nos, exturbet te Dominus in die hac: lapidavitque eum omnis Israel, &c.* Ratiocinemur quoque de tractionem esse speciem furti, quando alteri minuis & eripimus æstimationem. REFL. Inquiramus an non simus rei hujus Præcepti violati.

VOL. Dicamus cum Davide Psal. 100. *Detrahentem secretò proximo suo hunc persequabar.* Atque in primis per fructus dignos poenitentiae persequamur nos ipsos, si cui rem aut honorem minuerimus, aut furati fuerimus.

COLLOQ. Ad Christum crucifixum, gratias agendo pro patientia & misericordia ejus, tolerantis hominum malitiam, qui post tot flagella non cessant illum offendere, petendo interim nobis aliisque gratiam veræ poenitentiae. RECOL.

MEDITATIO XIII.

G. II.

*De difficultate, sive infirmitate, quæ est
in intellectu, voluntate, &c.*

CONG. Quomodo infirmus debeat se convertere ad Medicum, & auxilium alterius.

PRÆL. I. Considerare se, ut infirmum & vulneratum in corpore, in intellectu, & in voluntate.

PRÆL. II. Petere lumen cognoscendi infirmitatem nostram, & gratiam sanitatis.

PUNCTUM I. MEM. Numeremus, si possimus, vices, quibus decrevimus declinare ab aliquo malo, vel facere aliquod bonum: & quoties decretum illud, etiam statim à concepta bona mente violaverimus.

PUNCTUM II. INTEL. Consideremus, postquam contra superbiam, contra iram (idem est de cæteris peccatis capitalibus) nos muniverimus, quàm tenuis causa & levis occasio nos sæpe dejiciat.

PUNCTUM III. INTEL. Perpendamus hanc infirmitatem oriri ex fomite peccati, hoc est, ex *carnis, sensuum, amorisque proprii, & mundani rebellionem*. Hi quatuor hostes semper nobis insidiantur.

PUNCTUM IV. INTEL. Sciamus, in contemplatione Regni Christi, ubi hostes dicti quatuor enumerantur, supponi in hebdomada 1. rebellionem horum esse expugnatam. Id enim necessarium est, si in hebdomada 2. velimus sequi Christum.

PUNCTUM V. VOL. Agnoscamus fragilitatem nostram, dicamus cum affectu contritionis: *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum* Ps. 6. *Non est sanitas in carne mea.* Psal. 37. *Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam* Job. 13. *Quoniam servus tuus sum ego... homo infirmus, & exigui temporis.* Sap. 9.

COLLOQ. Ad Christum crucifixum implorando remedium, & medicinam tam miseræ fragilitati: Nam ille solus potest juvare. *Domine salva nos, perimus.* Matth. 8. **RECOL. REPET.**

MEDITATIO XIV.

G. III.

De Judicio particulari.

CONG. Quomodo reus soleat esse anxius, quando Judici sistendus est.

PRÆL. I. Considerare nos ipsos ex hoc ergastulo corporis ad Deum Judicem educendos.

PRÆL. II. Petere gratiam talis pœnitentiæ, qualem tunc optaremus fecisse.

PUN-

PUNCTUM I. VISUS. Videamus animam jam corpore destitutam, solam ante Dei tribunal constitutam.

INTEL. Ibi rationem dare debebit de usu tum corporis sui, tum cæterarum rerum creatarum. Concludamus, melius esse nunc severum de nobis iudicium instituere. *Quòd si nosmetipsos dijudicaremur, non utique iudicaremur.* 1. Cor. 11. REFL. Cogitandum, quomodo hæc tenus id fecerimus.

VOL. Timorem concipiamus illius Dei vocis: *Ego justitias iudicabo.* Psal. 74. Quid erit de iniquitate?

PUNCTUM II. AUDITUS. Audiamus vocem animæ illius: *Ergo erravimus à via veritatis.* Sap. 5.

INTEL. Hoc est, à via, qua eundum erat ad finem creationis. REFL. Examinemus vias nostras.

VOL. Dicamus nunc cum Propheta: *Viam veritatis elegi.* Psal. 118. *Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua.* Ibidem.

PUNCTUM III. GUSTUS. Coniungamus gustum nostrum, cum amarissimo gustu animæ illius *pra angustia spiritus gementis.* Sap. 5.

INTEL. Ratiocinemur illam acerbicatem provenire ex peccatis: *peccatum verò, cum consummatum fuerit, generat mortem.* Jac. 1. *Post hoc autem iudicium.* Hebr. 9. Quæ omnia sunt amarissima. REFL. Cogitemus nos stultè non vitare mortem peccati, si velimus vitare amaritudinem istius iudicii.

VOL. Sequamur deinceps Apostoli monitum:
Ne quis desit gratia Dei: ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediatur. Hebr. 12.

PUNCTUM IV. ODORATUS. Tunc sentit anima illa id, quod habetur Is 3. *Erit pro odore foetor.*

INTEL. Ratiocinemur hunc foetorem oriri ex corruptione viarum ad finem, & ex peccatis: quæ gravius afficiunt Deum Judicem, quam ullus foetor. REFL. Inspiciamus corruptionem animæ nostræ per peccata.

VOL. Juxtà Exercitium 2. hujus hebdomadæ in spiritu humilitatis, & contritionis; *Inspiciam corruptionem mei totius, pravitatem animæ, atque corporis fœditatem: ac me tamquam ulcus, sive apostema esse ducam, ex quo tanta sanies peccatorum, tantaque vitiorum labes defluerit.* Agam nunc pœnitentiam, ut in die Judicii, Christi bonus odor esse possim.

PUNCTUM V. TACTUS. Perpendamus animam illam statim, ut judici sistitur, quasi tangere ignem illum, quo crucianda est.

INTEL. Concludamus melius esse nunc quodammodo tangere illum ignem, ut nos à peccando deterreat. REFL. Cogitemus, quomodo hactenus memores fuerimus *gehennæ ignis*. Matth. 5. quam tamen Christus toties nobis ob oculos posuit.

VOL. Cum fide viva deinceps recordemur verborum Christi, & ne in Judicio compareamus rei ignis inextinguibilis, juxtà Reg. 4. posterioris modi

modi eligendi, debemus prospicere *non minus*, quando pro *Tribunali* sistar *judicandus*, quo me *consilio* hac *in re* sum esse vellem, &c.

COLLOQ. Ad Christum crucifixum, ipsius misericordiam extollendo, qui tot modis nos à peccando vult liberare; contritionem excitando, quia *charitas* foras mittet *timorem* illius *judicii*. RECOL.

MEDITATIO XV. G. I.

De transgressione octavi, noni, & decimi Præcepti.

CONG. De eo, qui sibi malè conscius, de mandatis acceptis Domino suo rationem dare debet.

PRÆL. I. Considerare terrores minaces, cum quibus mandata sunt data in monte Sina.

PRÆL. II. Petere gratiam cognoscendi, & extirpandi peccata contra hæc Præcepta:

PUNCTUM I. MEM. De falso testimonio legitur Deut. 19. *Reddant ei, sicut fratri suo facere cogitavit; & auferes malum de medio tui, ut audientes cæteri timorem habeant... non misereberis ejus, &c.*

INTEL. Perpendamus verba singula, & sciamus, quòd ea, quæ contra proximum malè agimus, proportionatâ pœnâ certò aliquando sine

C 5

puni-

punienda. REFL. Examinemus peccata contra proximum.

VOL. Dicamus cum affectu Psal. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, &c. qui non egit dolum in lingua sua, nec fecit proximo suo malum, &c.* Doleamus de talibus peccatis.

PUNCTUM II. MEM. Daniel. 13. *duo senes exarserunt in concupiscentiam Susanna, & dixit eis Daniel: Manet enim Angelus Domini gladium habens, ut secet te medium, & interficiat vos, &c.*

INTEL. Perpendamus, has pœnas temporales esse quasi figuras pœnæ aternæ; quibus Deus nos à peccando absterret. REFL. Concludamus etiam periculum concupiscendi vitandum esse.

VOL. Dicamus cum Job cap. 31. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgine.*

PUNCTUM III. MEM. Rex Achab concupierat vineam Naboth contra decimum Præceptum.

INTEL. Consideremus, quanta peccata ex hac concupiscentia orta sint, etiam homicidii, ut meritò Deus per Eliam Achabo dixerit 3. Reg. 21. *Canes lambent quoque sanguinem tuum. Et de uxore ejus: Canes comedent Jezabel in agro Jezabel.* REFL. Concludamus, quantopere nobis cavendum sit à concupiscentia rei alienæ; nam *concupiscentia cum conceperit, parit peccatum; peccatum verò cum consummatum fuerit, generat mortem.* Jacob. 1.

VOL. Optemus, & imploremus fructus illos Spiritus Sancti, qui sunt *continentia*, & *castitas*; per hos enim benè observabuntur ultima duo Mandata.

COLLOQ. Ad Christum crucifixum, petendo gratiam deinceps benè observandi omnia Mandata, & ad id postulando dona & fructus Spiritus Sancti, excitando contritionem de peccatis antea-actis. RECOL.

MEDITATIO XVI, G. II.

De rebellionem carnis.

CONG. Quomodo quis in medio hostium positus *cum metu*, & *tremore* soleat saluti invigilare.

PRÆL. I. Considerare nos in medio quatuor hostium positos, scilicet *carnis*, *sensuum*, *amoris-que proprii*, & *mundani*.

PRÆL. II. Petere gratiam expugnandi rebellionem illorum hostium.

PUNCTUM I. MEM. Ob oculos ponamus, multitudinem & gravitatem peccatorum, quæ tum cogitatione, tum verbo, tum opere fiunt, & oriuntur ex carnis rebellionem.

PUNCTUM II. INTEL. Ratiocinemur meritò 1. Joan. 2. primo loco in descriptione mundi sic positum fuisse: *concupiscentia carnis*; & à S. P. Nostro in Contemp. Regni Christi, inter quatuor

tuor hostes primo loco nominatam *carnis* rebellionem.

PUNCTUM III. INTEL. Consideremus singulas, ut vocant, *Luxuria filias*: quæ sunt hæ. in *intellectu*. 1. cœcitas mentis, quæ de Cœlestibus non cogitat. 2. Præcipitatio, quæ agit sine consilio. 3. Inconstantia, quæ voluptatis causâ à propositis bonis deficit. *In voluntate*: 1. amor sui, qui seipsum statuit finem suarum actionum. 2. Odium Dei. Nam lascivus à Deo abhorret. 3. Affectus præsentis sæculi. 4. Horror futuri sæculi.

PUNCTUM IV. INTEL. Concludamus quanto Jure in scripturis, tam graviter prohibeatur hoc peccatum. Rom. 13. *carnis curam ne feceritis in desideriis*. 1. Theff. 4. *Abstineatis vos à fornicatione*. 1. Pet. 2. *Charissimi obsecro vos, tamquam advenas & peregrinos abstinere vos à carnalibus desideriis*. Et pluribus aliis locis.

PUNCTUM V. VOL. Horreamus tam foedum & perniciosum hostem. Doleamus, si quæ fuerit ante ignavia; & verâ contritione eam eluamus. Animos comparemus ad rebellionem illam cum Dei gratiâ penitus expugnandam.

COLLOQ. Admiremur Dei patientiam, quæ tot scelera sustinet; extollamus ejus misericordiam, quod iterum diluvio, vel aliter non perimat peccatores. Possimus enim de multis dicere etiam nunc: *omnis quippe caro corruperat viam suam*. Gen. 6. Petamus gratiam, rebellionem illam expugnandi. RECOL. REPETIT.

MEDI-

MEDITATIO XVII.

G. III.

De extremi Judicii signis remotis.

CONG. Quomodo Rex verè clemens, sapius suos moneat de futuro Judicio, ut mitius judicentur.

PRÆL. I. Ob oculos ponere vallem Josaphat, ubi tempore nobis non noto, Judicium publicum fiet.

PRÆL. II. Petere gratiam, ut præviis signis futuri Judicii, moveamur ad peccata vitanda.

PUNCTUM I. VISUS. Oculis nostris repræsentemus bella, pestilentiam, famem & terræmotus, quibus homines passim in variis Orbis partibus affliguntur.

INTEL. Perpendamus, quod Christus de illis signis dixerit Matth. 24. *Hæc autem omnia initia sunt dolorum.* REFL. Cogitemus, an hæc aspexerimus, tamquam initia dolorum.

VOL. Deploremus cœcitatem nostram: & deinceps illa intueamur tamquam præmonitiones & signa futuri Judicii.

PUNCTUM II. AUDITUS. Audiamus suspiria, gemitus, & ejulatus hominum fame, peste, bello, & terræmotibus oppressorum.

INTEL. Ratiocinemur, quamvis *hæc initia sive dolorum*, quomodo tamen homines, non loquantur

TUR

tur de irâ venturâ ; sed de rebus vanis , & perituris. REFL. Consideremus sermones nostros , an etiam vani non sint.

VOL. Dicamus ad Deum , qui nos creavit ad finem tam sublimem. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes , sed non ut lex tua.* Ps. 118. & statuamus terrere per hæc signa futuri Judicii , primùm nos ipsos ; ac deinde etiam alios peccatores.

PUNCTUM III. GUSTUS. Gustemus lacrymas , & interiorem hominum sensum & afflictionem cordis , inter tot aduersa , quæ monent nos , quod *omnia initia sint dolorum.*

INTEL. Applicemus illa verba Christi. Matth. 24. *Sicut autem in diebus Noë , ita erit adventus filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluuium , comedentes , & bibentes. &c.* Nam etiam nunc inter tot amaritudines , student homines gustui in cibo , & potu. REFL. Respiciamus nos , an non simus similes illis , qui fuerunt ante diluuium.

VOL. Nos potius seruemus regulas *de victu temperando* , imò ut satisfaciamus pro peccatis nostris , seruemus addit. 10. Hebd. 1. *de pœnitentia in victu.*

PUNCTUM IV. ODORATUS. Percipiamus quodammodo foetorem , qui ex multitudine peccatorum oritur ante Deum.

INTEL. Ratiocinemur , quod sicut antè diluuium , *omnis quippe caro corruerat viam suam.* Gen. 6. ex hac corruptione oriatur putredo ante Deum.

Deum. REFL. Circumspiciamus nos, an etiam vias nostras, per quas ad finem tendere debeamus, non corruerimus.

VOL. Excitemus dolorem & contritionem de peccatis nostris, & eam offeramus Deo *in odorem suavitatis*. Exod. 29.

PUNCTUM V: TACTUS. Tangamus quodammodo vulnera, & mala, quæ oriuntur ex terræmotu, peste, fame, & bello.

INTEL. Iterum sicut ante diluuium, erant *nubentes, & nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo introiit Noë in arcam, & non cognoverunt donec venit diluuium, & tulit omnes*. Matth. 24. Ità perpendamus nunc quoque fieri. REFL. Videamus an non simus ex illis. Qui cum versemur inter tot mala, quibus tanguntur homines, studemus tamen sensui tactus, nihil de tot malis, & de majoribus secuturis cogitantes.

VOL. Agnoscamus nos meritò tot malis moneri de futurâ irâ. *Multa flagella peccatoris*. Psal. 31. Sed nos memores Iudicii futuri, mortificemus sensum tactus juxtâ Addit. 10. hebd. I.

COLLOQ. Ad Christum Crucifixum, petendo gratiam, ut tot flagella generis humani, profint mihi ad vitanda peccata, & ad faciendos fructus dignos pœnitentiæ. RECOL.

MEDI-

MEDITATIO XVIII.

G. I.

De poenis peccatorum in Lege gratiae.

CONG. Quantoperè coram Iudice confundi debeat reus, quando Iudex tam paternè procescit monitionibus, minis, aliorum exemplis reum terrendo, ne delinqueret.

PRÆL. I. Statuere nos reos coram ipso Iudice, qui in Lege naturæ & scripta, tot modis voluit nos à peccatis absterre.

PRÆL. II. Petere gratiam, agnoscendi paternam bonitatem, & filialis doloris ac contritionis

PUNCTUM I. MEM. Matth. 3. Dixit Joannes de Christo: *Permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum; paleas autem comburet igni inextinguibili.*

INTEL. Paleæ sunt, qui neglecto fine creationis, peccando abutuntur rebus creatis: ne autem in ignem illum incidamus, præmonet nos per suum præcursores. REFL. Inquiramus de nobis ipsis, an triticum simus; an verò palea.

VOL. Intimè dolentes de peccatis, dicamus cum Ecclesiâ, *Preces meæ non sunt dignæ, Sed tu bonus fac benignè, ne perenni cremer igne.*

PUNCTUM II. MEM. Christus Urbi Jerosolymitanæ prædixit, Luc. 19. *Ad terram proster-*
nent te,

ment te, & Filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem.

INTEL. Perpendamus causam hujus pœnæ: *èd quod non cognoveris tempus visitationis tuæ.* Perpendamus item, quàm paterna, imò materna fuerit hæc visitatio: *quoties*, inquit Matth. 23. *volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.*

REFL. Cogitemus, quoties Christus nos simili modo visitaverit, idque tot modis.

VOL. Totos nos effundamus in actus perfectæ charitatis, & contritionis. Nam augetur peccati nostri malitia, ex tantâ bonitate.

PUNCTUM III. MEM. Act. 5. Ananias & Saphira subitâ morte puniti sunt ad verba Petri.

INTEL. Sciamus causam fuisse, quia ausi fuerunt fraudare *de pretio agri.* Actor. 5. REFL. Nos ipsos examinemus, an non similiter faciamus, violando vota Religionis.

VOL. Simus cauti in futurum, & renovemus vota nostra, cum zelo eadem benè servandi.

COLLOQ. Ad Christum Crucifixum excitando affectus contritionis, amoris, fiduciæ, &c. implorando misericordiam, & gratiam. RECOL.

D MEDL-

MEDITATIO XIX.

G. II.

De rebellionē sensuum.

CONG. Quomodo, qui in medio hostium positus est, salutis suae invigilet cum metu & tremore.

PRÆL. I. Considerare nos in medio quatuor hostium; *Carnis, Sensuum, amoris proprii, & mundani.*

PRÆL. II. Petere gratiam expugnandi rebellionem istorum hostium.

PUNCTUM I. MEM. Occurrant animo, non tantum innumerabiles cogitationes, quae intrant per sensus, & distrahunt atque abstrahunt mentem à rebus divinis, & à virtute; sed gravissima & varii generis peccata, ad quae homines inducuntur, per visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum.

PUNCTUM II. INTEL. Perpendamus malitiam & pravitatem ejusmodi peccatorum: sensus enim quinque dati sunt homini, *ut Dominum Deum suum laudet, ac revereatur, eique serviens tandem salvus fiat:* contra hunc finem fiunt rebelles sensus illi, & hominem in devia trahunt.

PUNCTUM III. INTEL. Antè consideravimus *Luxuriam* cum suis filiabus, ut loquuntur Auctores:

cores: consideremus hic duo alio capitalia peccata, cum suis filiabus. Ex *Avaritia*, quæ merito vocatur, *concupiscentia oculorum*. 1. Joan. 2. nascitur 1. obduratio cordis, sive defectus misericordiæ erga egenos, & durities erga debitores. 2. Inquietudo cordis, cum inani timore perdendi. 3. Violentia. 4. Fallacia, sive dolus in verbis. 5. Fraus, sive dolus in factò. 6. Proditio, sive deceptio contra fidem datam, vel debitam cum alterius damno. Ex *Gulâ*, quæ est rebellio gustus: nascitur in *anima*. 1. Hebetudo mentis, ut V. G. non possit orare. 2. Inepta lætitia, quæ excitat ad turpes cantiones, & actus. 3. Multiloquium. 4. Scurrilitas in verbis, & gestibus. 5. In *corpore*, immunditia. 6. Vomitus. 7. Seminis effusio.

PUNCTUM IV. INTEL. Recenseamus etiam filias *Ira*, quæ accenditur, dum aliquid fit sensibus contrarium. Ex *Ira* Nascitur 1. In *Corde*. Indignatio. 2. Tumor mentis, quâ morosè excogitatur vindicta. 3. In *Ore* clamor. 4. Blasphemia. 5. Contumelia. 6. Maledictio. 7. In *Opere*. Rixæ. 8. Pugnæ. 9. Seditiones. 10. Vulnera.

PUNCTUM V. VOL. Hisce benè perpensis, dicere possumus verè, & clamare ad Deum: *Inimici mei animam meam circumdederunt*. Ps. 16. *Sub umbra alarum tuarum protege me*. Ibid. *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus*. Psal. 39. agnoscamus infirmitatem nostram, & diffidamus nobis: & eliciamus actus fiduciæ, quibus scriptura abundat.

COLLOQ. Ad Christum Crucifixum, petendo per dolores, quos habuit in omnibus sensibus, gratiam ad rebellionem sensuum expugnandam. RECOLL. REPET.

MEDITATIO XX.

G. III.

De signis propinquis extremi Iudicii.

CONG. Quomodo reus soleat turbari, quando in carcer commovetur, ut educatur ad Iudicium.

PRÆL. I. Repræsentrare nobis vallem Josaphat, locum extremi Iudicii.

PRÆL. II. Petere gratiam, ut poenitentiae fructus faciamus, antequam dies ille iræ veniat.

PUNCTUM I. VISUS. Conspiciamus id quod describitur Matth. 24. *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadent de Cælo & virtutes Cælorum commovebuntur.*

INTEL. Concludamus, quantus terror sit tunc futurus. REFL. Docet nos experientia, quod dum peccavimus, non satis memores fuerimus illius venturi diei.

VOL. Statuamus observare illud Eccli. 7. tamquam nobis ipsis dictum *In omnibus operibus tuis, memorare novissima tua, & in æternum non peccabis.*

PUN

PUNCTUM II. AUDITUS. Audiamus quoque quod scribitur Luc. 21. *Erit in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris, & fluctuum.* Item illud Luc. 23. *Tunc incipient dicere montibus: cadite super nos, & collibus, operite nos.*

INTEL. Ratiocinemur circa illa verba Luc. 21. post descriptum sonitum maris: *arescentibus, inquit, hominibus præ timore.* **REFL.** Concludamus de nobis ipsis, quod melius sit nunc illo timore concuti, quàm tunc.

VOL. Proinde sonitus ille nunc potius occupet aures nostras, & nos à peccato absterreat.

PUNCTUM III. GUSTUS. Gustemus lacrymas & desolationem peccatorum illo tempore. Nam *usque ad supremum desolabuntur.* Sap. 4.

INTEL. Perpendamus causam tam amaræ desolationis, quæ describitur Jerem. 2. *Arguet te malitia tua, & aversio tua increpabit te. Scito & vide, quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei apud te, dicit Dominus Exercituum.* **REFL.** Examinemus nos ad illa verba.

VOL. Renovemus omnes affectus indifferentiæ eligendi consentanea &c. prout in *Fundamento.*

PUNCTUM IV. ODORATUS. Præsentiamus illud, quod Dominus dicit Ezech. 32. *Et irrigabo terram fœtore sanguinis tui super montes, & vales implebuntur ex te... omnia luminaria cæli mærere faciam super te.*

D 3

INTEL.

INTEL. Cauia foetoris est, quia *corrupti sunt, & abominabiles facti sunt... Sepulchrum patens est guttur eorum.* Ps. 13. **REFL.** Inspiciamus, an talis corruptio non sit in nobis.

VOL. Clamemus ad Dominum: *Sana animam meam, quia peccavi tibi.* Ps. 40. Sana me putredine & ianie peccatorum.

PUNCTUM V. TACTUS. Imaginemur nobis tormentum tactus, quando quocumque se verterent, unusquisque præ dolore clamabit, *quia manus Domini tetigit me.* Job. 19.

INTEL. Ratiocinemur, quàm stultum sit nunc pascere sensum tactus, auro, argento, aliisque rebus creatis, de quibus est dictum: *Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis, quia sunt omnia in interitum ipso usu.* Coloss. 2. **REFL.** Cogitemus quoties per tactum, à fine nostro abducti simus.

VOL. Doleamus, & contritionem excitemus, quod tam bonum Dominum deseruerimus, qui præmonet nos terrore illius diei, ne per tactum intereamus.

COLLOQ. Ad Christum Crucifixum, petendo gratiam, ut terrore illius supremi diei, vigilemus, & oremus, ne nunc intremus in tentationem.
RECOLLECTIO.

MEDITATIO XXI.

G. I.

De Filio Prodigio.

CONGRUA. Quantopere multi exules anhela-
verint ad Patriam, & ad paternam domum.

PRÆL. I. Aspiciere se, tamquam exulem in hac
valle lacrymarum.

PRÆL. II. Petere a Deo spiritum compunctio-
nis, & pœnitentiæ veræ,

PUNCTUM I. *Status peccati.* MEM. *Peregrè profe-
ctus est in Regionem Longinquam, & ibi dissi-
pavit bona sua vivendo luxuriosè, missus est, ut
pasceret porcos, &c. Luc. 15.*

INTEL. Longinqua Regio est, quando procul
deviamus à fine: ibi tunc ducitur vita bestiarum.
*Sicut canis reversus ad suum vomitum, & sus lo-
ta in volutabro luti. 2. Pet. 2.*

VOL. Deploremus statum hunc: & dicamus
nobis ipsis: *Quia tu es miser, & miserabilis, &
cæcus, & nudus. Apoc. 3.* Agnoscamus culpam
nostram, quâ eò pervenimus.

PUNCTUM II. *Status pœnitentiæ.* MEM. *In se au-
tem reversus dixit: quanti mercenarii in do-
mo Patris mei abundant panibus? ego autem hic
fame pereor: Surgam, & ibo ad Patrem meum,
&c. & surgens venit ad Patrem suum... dixit-*

D 4

que

que ei filius: Pater, peccavi in Cælum, & coram te, Jam non sum dignus vocari filius tuus. Luc. 15.

INTEL. Primus pœnitentiæ gradus est in se reverti, & nosse suam infelicitatem. 2. Surgere, & ire ad Patrem. 3. Humilis confessio cum contritione. REFL. Nos quoque in nos ipsos revertamur: videamus an surrexerimus. &c. Nam beatus vir, qui *in Cathedra pestilentia non sedit. Ps. 1.*

VOL. Nos cum Filio prodigo, contrito corde dicamus: *Surgam & ibo ad Patrem, Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, Psal. 31. Pater, peccavi, &c.*

PUNCTUM III. *Status reconciliationis.* MEM. *Cum autem adhuc longè esset, vidit illum Pater ipseus, & misericordiâ motus est, & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum.... dixit autem Pater ad servos suos: citò proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manus ejus, & calceamenta in pedes ejus.... adducite vitulum saginatum... & ceperunt epulari. Luc. 15. cum Symphoniâ &c.*

INTEL. Singula perpendamus, amplexum, osculum, vestitum, epulas, cantus. &c. REFL. Consideremus quanta cœcitas sit, dilatio pœnitentiæ, & reditus ad Patrem tam misericordem.

VOL. Effundamus nos in actum charitatis, & perfectæ contritionis apud talem Patrem.

COLLOQ. Ad Christum Crucifixum, qui brachia habet extensa ad amplexum, & totus spirat misericordiam postulando veram contritionem.

RECOLL.

MEDI-

MEDITATIO XXII.

G. II.

De rebellionem amoris proprii.

CONG. Quomodo, qui in medio hostium est, salutis suæ invigilet cum metu, & tremore.

PRÆL. I. Circumspicere nos cinctos *carnis, sensuum, amorisque proprii & mundani rebellionem.*

PRÆL. II. Petere auxilium Dei ad expugnandos illos hostes.

PUNCTUM I. MEM. Revocemus summarie in memoriam peccata totius vitæ nostræ.

PUNCTUM II. INTEL. Ratiocinemur omnia hæc peccata provenire ex amore proprio: nam hic aliud non est, quam natura, quæ neglecto fine creationis, se ipsam quærit, & amat. Atque hic amor proprius immiscet se quidem etiam rebellionem carnis, & sensuum, atque etiam amori mundano; sed in multis valde tectè, & subtiliter, ita ut non tam apertè se prodatur ejus malitia, de quo juvat considerare Thomam à Kempis de imit. Christi l. 3. c. 54. *de diversis motibus nature, & gratie.* Malitia consistit in eo, quod nos ipsos magis amemus, quam finem creationis nostræ, quem postponimus nostris commodis.

D 5

PUN.

PUNCTUM III. INTEL. Huic hosti aptè potest adscribi unum, alterumque peccatum capitale, Atque in primis *Invidia*, quæ est tristitia de alterius bono, tamquam diminutivo propriæ excellentiæ. Filiæ sunt hæ: 1. Odium erga alterum. 2. Detractio. 3. Gaudium in malis proximi. 4. Surratio, ad tollendam proximi amicitiam cum aliis.

PUNCTUM IV. INTEL. Amori proprio, etiam aptè adscribitur *Acedia*, quæ est tædium & tristitia in labore virtutum. Filiæ sunt. 1. Malitia, quæ quis bona spiritualia, & beneficia Dei odit. 2. Pusillanimitas, & desperatio. 3. Rancor, quo suadentes spiritualia sunt fastidio. 4. Torpor, quando bona non fiunt cum fervore. 5. Evagatio mentis. Hæc omnia oriri ex amore proprio consideranti facilè patet.

PUNCTUM V. VOL. Dicamus, & fateamur culpam nostram, quòd toties, & in tam multis superati fuerimus à rebellione hostis istius: Excitemus actum contritionis. Statuamus unicè finem creationis nostræ amare, & ad eum rectà tendere.

COLLOQ. Ad Christum crucifixum, petendo charitatem, & cæteros fructus Spiritus Sancti. Nam hi penitè hostem illum profligant, & quia tam subtilis est hic hostis, petamus lumen, ut bene intelligamus illam ejus sententiam. *Qui amat animam suam, perdet eam.* Joan, 12. **RECOL. REPETIT.**

MEDI.

MEDITATIO XXIII.

G. III.

De resurrectione mortuorum.

CONGRUA. *Mente revolvere illa verba :
Mors stupebit & natura, cum resurget
creatura, judicanti responsura.*

PRÆL. I. Seipsum considerare tamquam semen terræ mandandum, & corrumpendum, ut vel in triticum, vel in zizania resurgat, & crescat.

PRÆL. II. Petere gratiam, ut faciendo fructus dignos pœnitentiæ, in bonum semen formari possim.

PUNCTUM I. *Visus. Oculos circumferre per sepulchra regionum, & videre mortuos ubique resurgentes.*

INTEL. Perpendat illud 1. Cor. 15. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Nam justus quidem surget in gloria, & surget in virtute; sed non sic peccator, qui horrebit ad sui ipsius, aliorumque peccatorum aspectum.*

REFL. Concludamus, quòd nunc debeamus horrere peccatum, si tunc illo horrore velimus liberi esse.

VOL. *Horrorem concipiat peccati, tamquam mali unici, quod est in mundo. Quid enim nobis nocebit, si non peccaverimus? neque nunc, neque*

que in resurrectione mortuorum quidquam nobis nocere poterit, si fuerimus sine peccato : à quo nunc abhorreamus.

PUNCTUM II. AUDITUS. *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba; canet enim tuba, & mortui resurgent. 1. Cor. 15.*

INTEL. Cogitemus, quàm tuba illa sit futura horribilis peccatoribus. **REFL.** Concludamus, quòd nunc *novissima illa tuba* debeat sonare in auribus mentis nostræ, ut in æternum non peccemus.

VOL. Dicamus Deo: *Confige timore tuo carnes meas, à judiciis enim tuis timui.* Psal. 118. *Sonet vox tua in auribus meis.* Cant. 2. Vox, inquam, illa terribilis novissimæ tubæ, ut si *vox tua dulcis* non me avocet à peccando, saltem illa terribilis absterreat.

PUNCTUM III. GUSTUS. Gustemus quòdammodo tormentum gustus, quod erit in corporibus istis peccatorum, quæ invicem quasi nauseam afferent.

INTEL. Ratiocinemur etiam, quòd vox illa novissimæ tubæ non solùm horrorem; sed etiam amaritudinem afferet. Nam Sophon. 1. legitur: *Vox diei Domini amara.* **REFL.** Perpendamus, quàm parùm memores hætenùs fuerimus, illius amaræ vocis.

VOL. Accusemus desidiam nostram: Sapor terrenorum castigandus est à nobis; Dicamus nobis cum Apost. Coloff. 3. *Quæ sursùm sunt sapite, non quæ super terram.*

PUN.

PUNCTUM IV. ODORATUS. Sentiamus foetorem corporum illorum peccatorum.

INTEL. Ratiocinemur, quòd justus *surget in incorruptione.* I. Cor. 15. Sed iniusti in corruptione, plena foetoris. Insuper Matth. 25. *Statuet oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris,* quibus verbis indicatur putredo & foetor peccatorum. **REFL.** Recogitemus peccata nostra, ac simul perpendamus, quàm abominabiles fuerimus Deo propter illa.

VOL. Confundamus nos, & pudeat nos; doleamus, & oremus: *Inter oves locum presta, & ab hædis me sequestra, statuens in parte dextra.*

PUNCTUM V. TACTUS. Percipiamus tactu quasi mentis, dolores & tormenta, quibus corpora illa resurgentium peccatorum, ex morbis, vulneribus, & corruptione sua cruciabuntur.

INTEL. Perpendamus quomodo peccando in hac vita in multos dolores corporis & animæ incidere homines soleant, quibus sensus *tactus* cruciatur. **REFL.** Recordemur quomodo nos ipsi id experti fuerimus.

VOL. Statuamus pro remedio, diligenter observare, quæ habentur in libro Exercitiorum, de *Examine generali, & particulari; de Confessione Sacramentali, de Sacra Communione, & de Pœnitentiis.*

COLLOQ. Ad Christum crucifixum, petendo gratiam veræ contritionis, & ne in resurrectione nostri sensus ita crucientur, orando, ut nobis morientibus faciat gratiam extremæ unctionis, ut
per

per illud Sacramentum indulgeat nobis Deus, quidquid per visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum deliquimus. RECOL.

MEDITATIO XXIV.

G. I.

Lapsus & pœnitentia Petri.

CONG. Quanto pudore coram optimo Magistro compareret Discipulus, qui contra ipsius prævia monita, ipsum graviter offendisset.

PRÆL. I. Repræsentare sibi B. Petrum lacrymantem & pœnitentem.

PRÆL. II. Petere gratiam imitandi lacrymas & pœnitentiam Petri.

PUNCTUM I. *Dispositio ad lapsum.* MEM. Petrus dixit Jesu: *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor.* Matth. 26. & monitus de trina negatione, dixit: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Ibid.

INTEL. Perpendamus bonum quidem Petri zelum: sed mixtum nimiam de se præfidentia; nam quodammodo super omnes se effert, dicendo: *Etsi omnes, &c. ego numquam, &c.* REFL. Videamus, an nos quoque non simus rei nimie præfidentie.

VOL. Sequamur consilium S. Francisci Xaverii, quod inculcat in suis Epistolis, ut ita diffidamus nobis. ut maximè fidamus Deo. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.* Phil. 2.

PUN

PUNCTUM II. *Lapsus.* MEM. *Accessit ad eum una ancilla, dicens: Et tu cum Jesu Nazareno eras: at ille negavit coram omnibus.... Et tertia vice interrogatus, cepit detestari & jurare, &c.* Matth. 26.

INTEL. Perpendamus gravitatem hujus lapsus ex circumstantiis; tum investigemus causas, præfidentiam; quòd *sequebatur eum à longè*; Matth. 26. quòd non vitaverit occasionem; quòd timeret cruciatus & mortem, nec indifferens esset ad brevem vitam & longam; ideo elegit peccatum, tam grande, præ mortis periculo. REFL. Videamus an hæ causæ etiam in nobis locum non habeant.

VOL. Accusemus nos, quòd in via salutis tam tepidè, & quasi *à longè*, progressi simus ad finem creationis nostræ. Excutiamus omnem acediam: sed in primis renovemus ea, quæ in *fundamento* statuimus circa indifferentiam, & electionem eorum, quæ ad finem conducunt: nè in talia peccata labamur.

PUNCTUM III. *Pœnitentia.* MEM. *Et conversus Dominus respexit Petrum: & recordatus est Petrus verbi Domini, &c. Et egressus foras Petrus, flevit amarè.* Luc. 22.

INTEL. Perpendamus ordinem hujus pœnitentiæ. 1. Misericordia Dei respicientis nos. 2. Memoria verborum Dei, quæ locutus est nobis, tum per Scripturas, tum per alios, tum per se inspirando bonas monitiones. 3. Egressio ex occasione peccandi. 4. Contritio & fletus amarus.

REFL.

REFL. Inspiciamus, quo ordine nos ad pœnitentiam tendamus.

VOL. Misericordiam Dei imploremus, *Aspice in me, & miserere mei.* Psal. 118. *Vivifica me, secundum verbum tuum.* Ibid. *Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.* Psal. 6. Denique cum Petro ploremus amarè.

COLLOQ. Ad Christum crucifixum, ut sicut Petrum, sic & nos conversus respiciat, ut egressi foras, fleamus amarè. RECOLL.

MEDITATIO XXV. G. II.

De rebellione amoris mundani.

CONG. Quomodo cinctus hostibus cum metu & tremore salutis suæ soleat invigilare.

PRÆL. I. Respicere nos cinctos carnis, sensuum, amorisque proprii, ac mundani rebellione.

PRÆL. II. Petere auxilium à Deo ad expugnandos illos hostes.

PUNCTUM I. MEM. In memoriam revocemus peccata omnis generis, quæ homines perpetrant, ut sint magni inter homines: ut honorentur, colantur, & laudentur; & ut in vita, ac post mortem, inter cæteros famam & gloriam acquirant: hoc est, ut satisfaciant amoris suo mundano.

PUNCTUM II. INTEL. Perpendamus naturam hujus hostis, in hoc sitam, quòd cum homo creatus sit ad

ad hunc finem, ut Dominum Deum suum revereatur, laudet, glorificet, eique serviat: hæc omnia ad se ipsum velit transferri; hinc dicitur Jo. 12. *Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei.* & 1. Cor. 3. monet Apostolus: *Nemo itaque gloriatur in hominibus.*

PUNCTUM III. INTEL. Notemus mundanum amorem, habere sibi junctum primum, & præcipuum peccatum capitale, scilicet *superbiam*, quæ est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, videlicet apud homines, & inter homines. Habet verò superbia tres filias. 1. est *Presumptio*, quâ aggredimur res supra vires, 2. *Ambitio*, quâ inordinatè appetimus dignitates, & honores. 3. *Vana gloria*, quâ inordinatè manifestamus propriam excellentiam, sive veram, sive fictam.

PUNCTUM IV. INTEL. Ratiocinemur, quàm vanus, & stultus sit ille amor mundanus: Nam totus dependet ab opinione hominum. Quid verò est homo? *natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis, &c.* Job. 14. *omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri.* Isa. 20. *Sicut flos fœni transibit.* Jacob. 1. *Quia omnis caro, ut fœnum, & omnis gloria ejus tamquam flos fœni, &c.* 1. Pet. 1. Meritò proinde dicitur 1. Cor. 3. *Sapientia enim hujus mundi, stultitia est apud Deum.*

PUNCTUM V. VOL. Admiremur hinc cœcitatem, & stultitiam hominum; Nam revera *stultorum*

E

rum

rum infinitus est numerus. Eccl. 1. Inde patientiam, & misericordiam Dei, quâ plena est terra. Pl. 32. Studeamus honorem, & contemptum hominum, non aliter appetere, aut fugere, quàm quatenus ad finem conferunt, vel obsunt: indifferentes proinde simus, & eligamus unum, vel alterum, prout ad finem creationis consentaneum est.

COLLOQ. Ad Christum Crucifixum, petendo tertiam gratiam, quæ in Colloquio Exerc. 3. Hebd. 1. posita est, *ut perspectâ, & damnatâ mundi pravitate, à rebus mundanis, ac vanis nos recipiamus. RECOL. REPET.*

MEDITATIO XXVI.

G. III.

De ipso Judicio Universali.

CONG. Quomodo affectus sit is, qui sententiam mortis auditurus est coram populo.

PRÆL. I. Videre omnes in Valle Josaphat congregatos, ut extremam audiant Sententiam.

PRÆL. II. Petere gratiam, ita deplorandi, & vitandi peccata, ut tunc cum fiduciâ compareamus.

PUNCTUM I. VISUS. Videamus *filium hominis venientem in nubibus, cum virtute multâ, & gloriâ, Marci. 13. Statuentem oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris. Matth. 25.*

INTEL.

INTEL. Perpendamus, *quantus tremor est futurus, quando Judex est venturus, cuncta strictè discussurus.* REFL. Concludamus nos cœcè, & stultè processisse, qui hæcenus illius diei viximus parum memores.

VOL. Memores vivamus novissimi illius judicii, ut tunc inter oves esse possimus, dicamus ad Deum cum Ecclesiâ: *Juste Judex ultionis, donum fac remissionis, antè diem rationis.*

PUNCTUM II. AUDITUS. Sonet in auribus nostris, vox illa, quæ dicetur *his, qui à sinistris erunt: discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo, & Angelis ejus.* Matt. 25.

INTEL. Vocavi vos, & creavi ad hunc finem, ut me laudando, mihi que serviendo, salvi fieretis. Discedite à me, extra quem nulla est salus, quia res creatas, præ me quæsivistis. REFL. Cogitemus, an hæc exprobratio in nos non cadat.

VOL. Toto corde convertamur ad Deum: nulla cogitatio nostra, nullum verbum, nullum opus sit, quod non rectè tendat ad finem creationis; tunc sententiam illam non timebimus.

PUNCTUM III. GUSTUS. Gustemus quasi amaritudinem illius sententiæ extremæ, & irrevocabilis.

INTEL. Perpendamus verba, quæ leguntur Sophon. 1. *Vox diei Domini amara: tribulabitur ibi fortis: additque Propheta causam: quia Domino peccaverunt.* REFL. Examinemus an eadem amaritudinis causa, peccatum scilicet, in nobis non sit.

VOL. Cum intimo sensu contritionis, dicamus nobis ipsis, illud Jerem. 2. *Vide quia malum, & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum. Convertamur, quoniam suavis est Dominus, Psal. 33.*

PUNCTUM IV. ODORATUS. Sentiamus foetorem hœdorum illorum, qui à sinistris consistunt.

INTEL. Perpendamus, si, prout in Exerc. 2. Hebd. hujus meditati sumus, unusquisque peccator sit quasi ulcus, & apostema, *ex quo tanta sanies peccatorum, tantaque vitiorum lues* defluit, quanta ibi futura sit corruptio, quanta graveolentia, ubi omnes simul erunt congregati. REFL. Consideremus nos ipsos, & scrutemur putredinem, & sordes conscientiae nostrae.

VOL. Dicamus: *putruerunt, & corrupta sunt cicatrices meae, à facie insipientiae meae. Ps. 37. Sperantes in Deo, dicamus, lavabis me, & super nivem dealbabor. Ps. 50, & Christi bonus odor efficiamur. 2. Cor. 2.*

PUNCTUM V. TACTUS. Jungamus quasi sensum tactus nostri, cum tactu illorum, qui à sinistris erunt, qui in animâ, & corpore cruciabuntur.

INTEL. Ratiocinemur, quod sententia illa terribilis, tamquam fulgur illos percutiet, & statim sentient in corpore etiam, quod resurrexit, poenam ignis inextinguibilis. REFL. Iterum atque iterum perpendamus stultitiam nostram, qui non cogitantes hæc, tam cœcè rebus creatis, etiam quando oberant fini nostro, abusi sumus.

VOL. Exclamemus cum Prophetâ Moysè de aliis æquè, atque de nobis: *Gens absque consilio est, & sine prudentia, utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent!* Deuter. 32. *Preces mea non sunt digna, sed tu bonus fac benigne, ne perenni cremer igne.*

COLLOQ. Ad Christum Crucifixum, Judicem futurum, ut det gratiam, ità pugnandi contra carnis, sensuum, amorisque proprii, & mundani rebellionem (qui hostes nos à fine, & à salute nostrâ abducunt; & ad peccandum continuò trahunt) ut illo die iræ, & extremi Judicii possimus esse securi, *Quærens me sedisti lassus, redemisti crucem passus, tantus labor non sit cassus.* RECOL.

MEDITATIO XXVII.

G. I.

De muliere peccatrice.

CONG. Quomodo Æger quærat medicum, & captivus anhelet ad redemptorem.

PRÆL. I. Respicere nos ipsos, tamquam captivos sub servitute peccati, ac tamquam ægros, & vulneratos.

PRÆL. II. Petere gratiam faciendi fructus dignos pœnitentiæ.

PUNCTUM I. *Confessio peccatorum.* MEM. Luc. 7. *Mulier, quæ erat in Civitate peccatrix, ut cognovit, quod (Jesus) accubisset in domo Phari-*

Pharisai, attulit alabastrum unguenti, & stans retròsecus pedes ejus, &c.

INTEL. Consideremus, quod mulier illa, postquam parasset unguenta, & odorama, per quæ intelligi possunt *orationes Sanctorum*, Apoc. & cæteraque necessaria ad fructuosam poenitentiam, stando *retròsecus pedes ejus*, professa sit se esse peccatricem. REFL. Videamus quomodo præparaverimus nos ipsos ad confessionem, eamque ad pedes Sacerdotis instituerimus.

VOL. Dicamus cum Ezechiaâ Isa. 38. *recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine anime mee*, & cum Davide Ps. 31. *Confitebor ad verum me in justitiam meam Domino.*

PUNCTUM II. *Contritio de peccatis.* MEM. Luc. 7. *Lacrymis cæpit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.*

INTEL. Hæc omnia vim doloris designant, oscula verò, & unctio ingentem amorem, & contritionem charitate perfectam. REFL. Componamus contritionem nostram cum hac.

VOL. Fateamur debilitatem contritionis nostræ: dicamus cum Jerem. 69. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, &c.* diligamus Patrem tam misericordem.

PUNCTUM III. *Absolutio à peccatis.* MEM. Luc. 7. *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum... dixit autem ad illam: remittuntur tibi peccata... fides tua te salvam fecit, vade in pace.* INTEL.

INTEL. Contemplemur hîc fructum sinceræ pœnitentiæ conjunctæ cum verâ fide; simulque clementiam Christi erga peccatores pœnitentiam agentes. REFL. Cogitemus nos ideo fortè non sentire illam pacem post absolutionem acceptam à Sacerdote, quia dolor noster non est tam sincerus, neque satis conjunctus cum fide, spe, & charitate.

VOL. Statuamus deinceps imitari pœnitentiam istius mulieris: & anhelemus ad illam Christi vocem: *remittuntur tibi peccata: vade in pace.*

COLLOQ. Ad Christum Crucifixum, conjiciendo nos ad pedes ejus, eos osculando, lacrymis rigando, unguendo, unguento virtutum, præsertim charitatis. RECOL.

MEDITATIO XXVIII.

G. II.

De brevitare Vitæ.

CONG. Videre homines passim morientes, sicut folia in autumno ex arboribus cadentia.

PRÆL. I. Intueri seipsum inter mille ægritudinis, & mortis causas constitutum.

PRÆL. II. Petere gratiam, ut tamquam peregrinos geramus nos super terram, & brevî migraturos.

PUNCTUM I. MEM. In mentem revocemus annos præteritos vitæ nostræ, & quàm paucos sperare

rare possimus secuturos. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni; Si autem in potentatibus octoginta anni.* Ps. 89. recordemur verò, quàm multi citius moriantur.

PUNCTUM II. INTEL. Ratiocinemur ex paucis illis vitæ annis subtrahi debere tempus infantia, tempus somni, & alia tempora, quibus vivimus, quasi non effemus. Ex quibus concludere possumus, quàm exiguo tempore censeridebeamus vixisse.

PUNCTUM III. INTEL. Comparemus hanc brevem vitam, cum vita illorum, qui olim vixerunt octingentis, nongentis annis, & mortui sunt. Deinde comparemus tempora illa cum æternitate, & concludamus, rectè Apostolum 2. Cor. 4. vocasse, *quod in presenti est momentaneum*, & benè dictum Job. 14. *breves dies hominis sunt*, & cap. 10. *numquid non paucitas dierum meorum finiatur brevi?*

PUNCTUM IV. INTEL. Concludamus quanta sit cœcitas, & stultitia, cum tam pauci dies nobis dati sint ad iter faciendum versùs finem creationis nostræ, declinare à viâ, & hærere in vili, & vanâ re creatâ.

PUNCTUM V. VOL. Dicamus, quod habetur Isa. 38. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine anime mee.* Nam verè amarum est, tempus tam breve, & pretiosum impendisse vanitati, & peccatis. Defleamus id amaris lacrymis:

mis: tum deinde semper menti nostræ obversetur illud 1. Cor. 7. *Tempus breve est, reliquum est, ut ... qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur. Præterit enim figura hujus mundi.*

COLLOQ. Fiat, petendo ferventer tertiam gratiam nobis necessariam, sicut habetur in Exerc. 3. Hebd. 1. scilicet, *ut perspectâ, & damnatâ mundi pravitate, à rebus mundanis, ac vanis nos recipiamus.* RECOL. REPETIT.

MEDITATIO XXIX.

G. III.

De divite Epulone.

CONG. Quomodo affectus esset captivus, qui caudiret grave supplicium quod alter pertulit ob crimen, cujus ipse quoque reus est.

PRÆL. I. Videre se quasi in carcere corporis inclusum, & reum plurium criminum.

PRÆL. II. Petere gratiam, ut per aliena saltem supplicia à peccato deterrear.

PUNCTUM I. VISUS. Intueamur, quomodo dives ille, vel quicumque ei similis, jaceat *sepultus in Inferno.* Luc. 16.

INTEL. Cogitemus causam illius damnationis fuisse, quod permiserit se abduci à fine suo per *carnis sensuum, amorisque proprii, & mundani rebellionem.* REFL. Inquiramus, an non similis peccati rei simus.

E s

VOL.

VOL. Doleamus de peccatis commissis, animos colligamus ad hostes illos penitus expugnandos.

PUNCTUM II. AUDITUS. Audiamus quid clamat & quid audiat ille miser: *Pater Abraham miserere mei. . . . & dixit illi Abraham, fili noster, quia recepisti bona in vita tua.* Luc. 16.

INTEL. Intelligamus bona illa esse res creatas, quibus abusus fuerat, quando fini creationis oberant: & ideo post mortem non est locus Misericordiae. REFL. Perpendamus, quomodo nos quoque similiter rebus creatis abusi simus.

VOL. Renovemus ea, quæ in *Fundamento* de usu rerum creatarum statuimus.

PUNCTUM III. GUSTUS. Gustemus quodammodo sitim illius miseri, qui frustra sic orabat: *mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam.* Sed respondit: *inter nos, & vos chaos magnum firmatum est.* Luc. 16.

INTEL. Hæc est poena illorum, qui sensuum rebellionem cedunt: Nam *epulabatur quotidie splendide.* Luc. 16. REFL. Examinemus nos juxta regulas *de victu temperando.*

VOL. Firmiter statuamus, nihil umquam indulgere sensibus, nisi quatenus juvat ad finem creationis.

PUNCTUM IV. ODORATUS. Sentiamus quasi foetorem, & putredinem illius damnati.

INTEL.

INTEL. Ratiocinemur, quod dives ille luxuriando *induebatur purpurâ, & bysso*, Luc. 16. Hæc verò omnia in putredinem, & saniem versa sunt, cum pestilenti fœtore. REFL. Examinemus, an non sit in nobis etiam materia, hujus putrefactionis, & corruptionis.

VOL. Sequamur consilium Christi Luc. 12. *Quæramus Thesaurum non deficientem in Cælis, quò fur non appropriat, neque tinea corrumpit.* Quid stultè deserimus finem creationis nostræ, ut odoratui, aliisque sensibus satisfaciamus? memores simus verborum Isa. 14. *Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.*

PUNCTUM V. TACTUS. Tangamus mente tormentum ignis, ob quod clamabat; *quia crucior in hac flammâ.* Luc. 16.

INTEL. Causas consideremus. Non fuerat indifferens ad sanitatem, & ægritudinem; ad longam, & brevem vitam; ad divitias, & paupertatem; ad honores, & contemptum: non elegerat, quæ fini creationis consentanea erant; Sed illa, quæ carni, sensibus, amori proprio, & mundano placebant. REFL. Scrutemur hîc bene conscientiam nostram.

VOL. Depløremus peccata nostra, & emendemus nos: dicamus: *cogitavi vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua.* Ps. 118.

COLLOQ. Ad Christum Crucifixum, extollendo misericordiam ejus, quod dederit tempus pœnitentiæ, & petendo cor contritum, & humiliatum. RECOL.

MEDI.

MEDITATIO XXX.

G. I.

De Phariseo, & Publicano.

CONGRUA. Quomodo coram Rege, qui crimen punire potest, & pro suprema potestate, & clementiâ illud potest condonare se gerere debeat reus.

PRÆL. I. Imaginari nos ipsos, criminum multorum reos, quibus Deus tamen justissimus æquus ac clementissimus non dedignatur accessum ad se permittere.

PRÆL. II. Petere gratiam, ut cum sincerâ poenitentiâ, & corde contrito, ad Deum in orationibus possim accedere.

PUNCTUM I. *Phariseus.* MEM. Phariseus stans hac apud se orabat: *Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum: raptores, injusti, adulteri: velut etiam hic publicanus.* LUC. 18.

INTEL. Consideremus multiplicem superbiam, cum despectu aliorum in oratione hujus Pharisei. REFL. Introspeciamus benè nos ipsos, & scrutemur, an superbia similis apud nos locum non habeat. Nam amoris proprii, & mundani rebellio, unde superbia oritur, est valdè subtilis, & incautos decipit.

VOL. Oremus Deum cum Davide Ps. 35. *non veniat*

veniat mihi pes superbia. Nam *Deus superbis resistit.* 1. Petr. 5. petam gratiam cognoscendi, & evellendi fibras peccati illius capitalis.

PUNCTUM II. *Publicanus.* MEM. *Et Publicanus à longè stans, nolebat nec oculos ad Cælum levare: Sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.* Luc. 18.

INTEL. Speculemur in hâc Publicani oratione, *cor contritum, & humiliatum.* M. 50. REFL. Pœnitentiam nostram interiorum cum hac componamus, ut sciamus, quid nobis desit.

VOL. Imitemur hanc humilem pœnitentiam: dicamus cum ipso: *Deus propitius esto mihi peccatori, & percutiendo pectus, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa, & cum Sacerdote in offertorio Missæ offerente hostiam, pro innumerabilibus peccatis, offensionibus, & negligentis meis.*

PUNCTUM III. *Sententia de utroque.* MEM. *Discor vobis, descendit hic justificatus in domum suam ab illo.* Luc. 18.

INTEL. Perpendamus causam justificationis, quæ additur: *Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur.* REFL. Videamus an similes simus Pharisæo, se exaltanti; an Publicano, se humilianti.

VOL. Cum intimo animi dolore, & perfectâ contritione, excitemus affectus, qui sunt in Psalmis pœnitentialibus: nominatim in Pl. 6. *Misere mei Deus, &c. Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies, &c.* COL.

COLLOQ. Ad Christum Crucifixum, qui propter Superbiam nostram *Humiliavit semet. ipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.* Philip. 2. Petamus gratiam S. Illuminationis, quâ cognoscamus peccata nostra; & gratiam sanctæ affectionis, quâ deploremus eadem corde contrito. RECOL.

MEDITATIO XXXI.

G. II.

De peccatis venialibus.

CONG. Quomodo homines non solum fugiant mortem, sed etiam quidquid ad mortem disponit.

PRÆL. I. Considerare nos ipsos tamquam multis vulneribus, & incommodis, & morbis animæ affectos: cum quibus etiam, citra periculum mortis est molestum vivere.

PRÆL. II. Petere gratiam cognoscendi mala peccatorum venialium, eaque vitandi.

PUNCTUM I. MEM. Revocemus in memoriam innumerabilia peccata nostra venialia, quæ contigerunt cogitatione, verbo, opere, commissione, ac negligentia.

PUNCTUM II. INTEL. Ratiocinemur causas peccatorum venialium easdem esse, quæ sunt peccatorum mortalium: quando enim carnis, sensuum, amorisque proprii, ac mundani rebellio,

bellio, quando, inquam, diabolus qui est hostis exterior, per quatuor illos hostes nobis interiores, non potest animæ nostræ per peccatum mortale, inferre mortem, non cessat inferre morbos & vulnera, nisi vigiles, & cauti simus.

PUNCTUM III. INTEL. Consideremus item effectus peccatorum venialium. 1. Sunt morbi, & vulnera quædam animæ quamvis non lethalia. 2. Disponunt, imò inducunt nonnumquam ad peccata mortalia. 3. Debilitant charitatem, cæterasque virtutes, easque quasi maculant, & inficiunt. 4. Retardant ingressum ad visionem beatificam: nam *non intrabit in eam aliquod coinquinatum*. Apoc. 21. 5. Grave iudicium propterea subeundum erit, Nam ideo Deus dicit Ps. 74. *Ego iustitias iudicabo*. 6. Meremur per illa magnas pœnas, vel in hac, vel in alterâ vitâ.

PUNCTUM IV. VOL. Pudeat nos comparere coram Deo, tot nævis, sordibus, maculis deformatos: confiteamur multitudinem peccatorum illorum. Dicamus cum Propheta Psal. 138. *Imperfectum meum viderunt oculi tui*. Agnoscamus nos justè plecti tot miseriis, quas meremur: doleamus, quod tam languidè Deo servierimus, proponamus meliora.

COLLOQ. Ad Christum Crucifixum, petendo per Passionem ipsius misericordiam, & vires ad fortiùs debellandos quatuor illos hostes, qui tot clades nobis inferunt. Clamemus cum Job. c. 14. *Tu quidem gressus meos dinumerasti; sed parce peccatis*

*peccatis meis, & cum Davide Ps. 142. Non intres
in iudicium cum servo tuo: quia non justificabi-
tur in conspectu tuo omnis vivens. Petamus gra-
tiam per vulnera eius. RECOL. REPET.*

MEDITATIO XXXII

G. III.

De Purgatorio.

CONG. Quomodo affectus esset ille homo, qui
ab optimo Rege ob culpas commissas citra
supplicium mortis, graviter tamen punien-
dus esset.

PRÆL. I. Speculari animam tamquam ream,
in carcere positam, & tandem, si non æterno, at
temporali igne puniendam, & purgandam.

PRÆL. II. Petere gratiam, ut poenam purga-
torii debitè apprehendamus, & timore illius sa-
lutari torpor noster excutiatur, & à peccatis
etiam levibus absterreamur.

PUNCTUM I. VISUS. Videamus oculis mentis car-
cerem illum igneum subterraneum, in quo ani-
mæ purgantur; vel ob peccata venialia; vel ob
mortalia non planè deleta quoad reatum poenæ.
REFL. Judicemus sequendum esse nobis consilium
Christi Matth. 5. *Esto consentiens Adversario tuo*
(per quem intelligi potest conscientia) *citò, dum*
es in via cum eo, ne fortè tradat te Adversarius
Judici. . . . & in carcerem mittaris. Amen dico
tibi

tibi non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.

VOL. Horreamus vim illius ignei carceris, potius nunc per Sacramenta, indulgentias, & pœnitentias satisfaciamus Adversario illi.

PUNCTUM II. AUDITUS. Audiamus animas clamantes ad nos: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me.* Job. 19. ad Deum verò: *justus es Domine & rectum judicium tuum.* Pl. 118. *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Pl. 41. REFL. Cogitemus longè consultius esse nunc ejusmodi adspirationes dirigere ad Deum.

VOL. Cum voluntate & desiderio hîc satisfaciendi, oremus Deum: *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi.* Pl. 38.

PUNCTUM III. GUSTUS. Gustemus amaritudinem, quam habent illæ animæ ex pœnâ damni. Nam *spes, qua differtur, affligit animam.* Prov. 11. nimia propensio in cibum, & potum, habebit ibi quoque amaritudinem suam. REFL. Videamus, an in nobis non sit nimia adhæsiō ad res creatas, & nimius appetitus satisfaciendi gustui, qui tunc deberet amaritudine illâ deleri.

VOL. Sequamur consilium Apostoli Col. 3. *Mortificate ergò membra vestra, quæ sunt super terram.* Mortificemus nunc gustum nostrum, ut tunc citò possimus venire ad illam mensam, ad quam *faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Luc. 9.

PUNCTUM IV. ODORATUS. Etiam graveolentiam suam habent peccata venialia. Sentiamus quodammodo illam; & qui odoratu peccaverunt, proportionatâ ibi pœnâ purgabuntur. **REFL.** Examinemus nos quoque in hoc puncto.

VOL. Purgemus nos nunc, & desideremus, & petamus gratiam à Deo, antè mortem cum fructu accipiendi extremam unctionem, in quâ dicitur: *Indulgeat tibi Deus quidquid per odoratum deliquisti.*

PUNCTUM V. TACTUS. Contrectemus quodammodo flammam illam, quibus animæ illæ *tamquam aurum in fornace* purgantur: & delentur peccata, quæ per tactum commissa sunt. **REFL.** Examinandi sumus, an nihil in nobis sit, quod tam acerbo ignis tactu debeat mundari.

VOL. Dolorem, & contritionem excitet charitate formatam de omnibus peccatis, quæ pœnam illam merentur; & hîc potius tactum nostrum mortificemus.

COLLOQ. Ad Christum Crucifixum, qui propter peccata nostra in omnibus sensibus ita cruciatus fuit: & per illos cruciatus supplicemus, ut in hac vitâ per charitatem, quæ *operit multitudinem peccatorum*: 1. Petri 4. & per pœnitentiam tam exteriorem, quàm interiorem, possimus delere peccata nostra, & citò post mortem apparere antè faciem ejus. **RECOL.**

FINIS HEBDOMADÆ PRIMÆ.

PRO.

PROOEMIUM, SEU FUNDAMENTUM
Sequentium Hebdomadarum.

HEBDOMADA SE- CUNDA.

*Contemplatio Regni Jesu Christi, ex simi-
litudine Regis terreni, subditos suos evocan-
tis ad bellum.*

Hæc Contemplatio satis expressa est in Libro
Exercitiorum; præsertim si legatur juncta Expla-
natio, debet fieri ejus REPETITIO.

HEBDOMADÆ SECUNDÆ

Sive

PRIMÆ DIEI

MEDITATIO Prima. De Incarnatione.

MEDITATIO II. De Nativitate.

MEDITATIO III. Repetitio præcedentium dua-
rum.

MEDITATIO IV. Iterata repetitio.

MEDITATIO V. Applicatio sensuum ad prædi-
ctas.



Uinque prima hæc primæ diei Exer-
citia, sunt satis explicata in ipso Libro
Exercitiorum, cum junctis Explana-
tionibus. Itaque transfiliemus ad me-
ditationem sextam. Repetitiones ta-

men, & applicationes sensuum (quamvis nulla-
tenus sint omittendæ) deinceps in numero medi-
tationum non reponemus. Satis patet, quomodo
illæ, ad normam à S. P. Nostro præscriptam, fieri